

## Band II., Nr. 368, Seite 124-125

*Bischof Günther von Speyer schenkt dem Kloster Maulbronn sechs vollständig ausgerüstete Vorrathshäuser, welche bei den Brüdern grangiae heißen, an genannten Orten nebst zwölfhundert Stück Schafen unter Bestimmungen über die Verwaltung der ganzen Schenkung.*

Ohne Ortsangabe, 1159. Januar 1.

In nomine sanctę et individue trinitatis. Guntherus, divina ordinante clementia Spirensis episcopus. Omnem quidem Christianum venerabilibus locis curam et diligentiam expedit impendere, quatenus a religiosis personis, defectum necessariorum non percipientibus, servitium dei tanquam perpetuatum iugiter vigere et reliquis fidelibus per continuationem orationum spem salutis et auxilium tribulationis possit prebere. Multum enim valet deprecatio iusti assidua, ut asserit sermo divinus. Huius itaque devotionis contemplatione ego Guntherus, Spirensis ecclesię vocatus episcopus, sacrosanctum cenobium, auctoritate mea et favore in termino episcopatus mei, videlicet in Mulenbrunnen, institutum, speciali quodam privilegio, eo quod in ipso semper maior vigeret religio, attentius et studiosius amplectebam, et, ne lapsu temporum propter penuriam sumptuum ad intollerabilem vergendo inopiam desolationis sive dissolutionis inmineret periculum, quantum potui mea conferendo providebam. Noscant ergo universi fideles, tam futuri quam presentes, quod preter reliqua bona a me collata, suis propriis instrumentis alibi notata, prefato venerabili loco pro remedio anime meę subscripta donavi: videlicet sex horrea, integre et plenarie cum omnibus amminiculis instructa, que ipsi vocant grangias, unum scilicet apud sanctum Leonem, secundum in Luzheim, tertium in Kezs, quartum in Otderstat, quintum in Marreheim<sup>1</sup>, sextum apud Dutenhouen; et preterea mille et ducentas oves, quarum greges per submissionem fetuum aliarumque perceptione commoditatum ad utilitatem loci eiusdem in longum et posterum tempus perdurare spero. Horum omnium donationem hoc modo et hac lege perfeci, ut administratio et dispositio eorum ad officium et sollicitudinem cellerarii spectet hoc ordine, quatinus ipse ex fructibus seu aliis utilitatibus omnium istorum, ceram, oleum, sepum, arvinam, corium, sal, ferrum ad sufficientiam fratrum comparet, ne defectus inaliquo habeatur. Preterea omnia aratra, ad eundem locum ubicumque pertinentia, ferramentis instruat, impensam feni, messium et vindemiarum, et mercedem servientium ex eis faciat, et si qua terra censualis possideatur, ex eisdem census ipse persolvat. Si quid vero residuum fuerit, in communem usum fratrum

<sup>1</sup>Das abgegangene Marrenheim, nicht Marnheim, KIB.

## II

cedat, ut omnia in pace et tranquillitate gubernentur. Hęc autem donatio, petitione et amore venerabilis abbatis Ditheri nostri quam dilectissimi facta et sic ordinata, ut in posterum rata et inconvulsa permaneat, in scriptis est redacta, inpressione sigilli nostri munita, et, ne quis veniat in contrarium, conminatione anathematis subnixa est.

Acta sunt hęc anno dominicę incarnationis MCLVIII., indictione VI., kalendis Ianuarii, regnante Friderico Romanorum imperatore augusto, ad laudem et gloriam domini nostri Ihesu Christi. Amen.

—

Der Textabdruck folgt dem Original.

Ein unten aufgedrücktes rundes Wachssiegel mit derselben, jedoch nicht mehr deutlich erkennbaren Umschrift wie bei Urkunde Nr. 367 (WUB, Bd. II, S. 124).

## Überlieferung und Publikationen

**Lagerort:**

GLA Karlsruhe

**Signatur/Titel des Originals:**

C 38

## Weitere Angaben

**Sprache:**

Lateinisch

**Ausstellungsort:**

Ohne Ortsangabe

**Ortsindex:**

Altlußheim Wohnplatz (6262)

Altlußheim, HD

Dudenhofen, RP

Ketsch Wohnplatz (6376)

Ketsch, HD

Marnheim, KIB

Marrenheim, Römerberg (Pfalz), RP, W

Maulbronn Wohnplatz (7043)

Maulbronn, PF

Otterstadt, RP

Speyer, SP

St. Leon Wohnplatz (6659)

St. Leon, St. Leon-Rot, HD